

I. N. S. S. T. 26

**DISPUTATIO PHILOSOPHICA,  
THEOREMATA  
NONNULLA MISCELLA-  
NEA, EX AMPLISSIMO PHILOSO-  
PHIÆ AGRO COLLECTA  
EXHIBENS.**

Quam

*Consensu & approbatione Amplissima  
Facult. philos. in Regia Acad. Aboënsi.*

**SUB PRÆSIDIO**

*Viri Praclarissimi ac Excellentissimi*

**DN. MAG. PETRI HAHN,**  
Physices Prof. & Col. Praeceptoris ac Pro-  
motoris sui omni observantiae cultu jugiter  
honorandi.

*Publico examini committit*

**MAGNUS M. NICANDER,**

Junecop. Smol.

*Ad diem 7. Martij Anno 1685.*

**A B O Æ,**

Exc. apud JOH. L. WALLIUM, A. T.

VIRIS

Multum Reverendis Clariss. nec  
non doctissimis ac venerabilibus Pro-  
motoribus benefactoribus & amicis  
nullo non tempore reverenter suspi-  
ciendis atq; honorandis

DN. M. GEORGIO Prrb  
Past. in Korpo optime merito.

DN. MATHIÆ Berg/ Past.  
in Jomala vigilantissimo.

DN. LAURENTIO KIELLINO,  
Past. in Sund bene merito.

DN. PETRO RINGIO,  
Past. in Lemmeland fidelissimo.

DN. ISACO MANSNERO,  
Sacellano in Finström & Gethar  
fideli.

DN. ELIÆ Berg/ Communi-  
stro in Pictis pervigili.



Manissimum Philosophiæ viri-  
 rium ingressus, Promotores &  
 Fautores observandi, amœnis flo-  
 rum flosculis, concorditer di-  
 scordantibus & discorditer concordantibus al-  
 lectus, decerpseram nonnulla liliorum gra-  
 mina, quæ suo amictu atq; ornatu, à me, ve-  
 rius spoliata, quam insigni aliquo colore sunt  
 condecorata; partim, quod aliis pagellis dedi-  
 tus partim inusitata festinatione compulsus,  
 frustra acquirere videor, pingvi huic com-  
 mentationi splendidum aliquod antepagmē-  
 tum ad studiorum meorum telam feliciter  
 pertexendam. Ne tamen tempus intempestivo  
 silentio contrivisse videar, Theoremata ex va-  
 riis auctoribus raptim collecta publica facere  
 (utinam fausto sydere) lucis aggressus; igitur  
 circumspicienti mihi, quibus oblatum irem,  
 obtulerunt se beneficia, in me, numero ut  
 innumerabilia, ita pondere gravissima, quibus  
 ego non uno modo me vobis devinctum reperio.  
 Sed illorum mole obrutus, vereor, quo modo  
 tempori & animo meo paream. Illud enim me  
 durissimo paupertatis telo diu oppressum, non  
 tantum retardaverat, verum etiam conatus  
 meos, bonæ spei quidem capaces, sed diu-  
 rurnitate mali oppressos, sustaminaverat,  
 ut sæpius Horatianum illud intonare cogerer:

Magnum paupertatis opprobrium jubet

Quidvis facere & pati;

Doleo hanc vicem & quid nam justius?

*Hic* *ſi* *gratitudine* *ſit* *plenus* , *inanes* *in-*  
*umbras* *&* *ſictas* *cogitationes* *vibrare* *praſumi-*  
*tur* , *cum* *verba* *nuda* *aſſert* , *incompto* *ſtylo*  
*exarata* *trepidè* . *Interim* *ſpes* *omnis* *mibi* *con-*  
*ſiſtit* , *in* *benignâ* *Vestrarum* *Dignitatum* , *be-*  
*nignè* *demonſtratâ* *benevolentia* , *qua* *mibi*  
*nullo* *non* *tempore* *aſſulſit* *promptiſſima* , *cujus*  
*radiis* *colluſtratus* , *decreverim* *tenellum* *hujus*  
*ingenii* *ſacrum* *Vestris* *nominiſus* *inſcribere* ,  
*ut* *hocce* *monumentum* *in* *auguſto* *honorum*  
*veſtrorum* *templo* *appenderem* , *quo* *de* *forma-*  
*tum* *hoc* *opus* *veſtris* *ornamentiſus* *ornari* *poſſit* .  
*Exhibebunt* *(feliciori* *forſan* *ſydere* , *divina* *q̄s*  
*aſſulgente* *gratia)* *ſequentia* *hujus* *anni* *tem-*  
*pore* *opportunitatem* , *ex* *aliquo* *amplioriſus* *do-*  
*ctrina* *promptuario* *teſtificandi* *cultum* *ob-*  
*ſervantiã* *meã* *erga* *V. D.* *Interim* *nul-*  
*lus* *dubito* *quin* *hoc* *quicquid* *fuerit* , *boni* *con-*  
*ſulatiſus* , *&* *ſolito* *favore* *complectamini* *clien-*  
*tulum* , *qui* *Vos* *ſingulos* *in* *longã* *annorum*  
*ſeriem* , *ter* *geminã* *felicitate* *ſlorentes* , *Deo*  
*commendatos* *diſcupit* ! *quoad* *vixerit*

Vest. Dign.

Addiſſimus

M. N.

## I. THEOREMA.

*Abstractionem qui tollit omnem tollit scientiam.*

**A**bstractionis tanta est necessitas, ut hac destitutum Regnum Philosophicum ex sanguine videatur, & emortuū; Tanta utilitas ut is solus habeatur Philosophus qui abstrahere callet. Hæc est mater omnis scientiæ, distinctionum norma, Disputationum Anima, fax atq; lumen, disciplinarumq; addiscendarum nunquam satis decantatus Præceptor, quo nullus Philosophorum citra veritatis jactarum carere potest. Unde Beatus Megalander noster dixerat: *Divinitus est factum ut usq; discrimen concreti & abstracti in Ecclesiâ locum obtineret.* Sed antequam penitus in rei considerationem provehor, non abs re me facturum esse judico, si in natales voeis studiosius inquisivero; ut ita expositio nominis ad secretiorem rei cognitionem viam feliciorē pandat. Abstractio dicitur ab abstrahendo, & ab-

A 2

strahere.



strahere idem denotat, attestante  
Scheibl. Log. p.m. 25. Quod apprehen-  
dere unum sine alio, vel terminare co-  
gnitionem ad unum, non cognitis his,  
quæ cum eo conjuncta sunt. Vocabuli  
hujus *ἀπορρησία* egregiè evolvere vide-  
tur Meisnerus in Philos. sobr. m.p. 565.  
&c. Ubi dicit aliam esse Grammaticam,  
aliam Physicam, aliam Theologicam,  
aliam sensualem, quâ sensus suum ap-  
prehendunt objectum ceteris, quæ ad-  
hærent, dimissis. Nobis vero Philoso-  
phica tractantibus arridet intellectu-  
alis, non tam negativa quam præcisiva  
sensu Noologico. Synonyma sunt ab-  
strahum, separatio, Philosophis minus  
usitatus terminus; præcisio, quæ aliis  
non ita placet. Hisce observatis dici-  
mus usum ejus dispalescere in toto Re-  
gno Philosophico nec non Theologi-  
co. Hæc substantialia ab accidentalibus  
abstrahit: Essentialia ab accidentalibus;  
Naturam à modis: Essentiam ab ad-  
ventitiis defectibus: Generalia à singu-  
laribus & conditionibus individuanti-  
bus, Remq; E. statu singularitatis in uni-  
versa-

versalem vel eminentem deducit. Et ut rem verbo complectar. Abstractionis munere composita & concreta quæ sunt, distincte concipiuntur & apprehenduntur: Quæ sunt confusa & intricata distincte explicantur & ordine digeruntur. Hinc innotescit Ethicam etiam abstractione gaudere quæ est secundum universale subjectum & fit à materia singulari, seu subjecto inhesionis singulari, attendendo tantum universale. Res namque singulares non ingrediuntur nostrum intellectum, partim quòd hæ infinitæ sint respectu nostri, partim quòd pleræq; concretæ & compositæ sint; unde etiam multiplices variosq; involvunt conceptus. Aptitudo tamen rebus inest intellectuise representandi illumq; mensurandi: unde Clariss: Sperl: Anthropol: p.m. 308. inquit: intellectus intelligendo fit omnia sc. Idealiter & per modum similitudinis & receptionis specierum. Plura dabit ενσήτησις publica. vid. Excellentissimum Calovium,

II. THE-

## II. THOREMA.

*Bonitatis transcendentalis formalis ratio, est  
convenientia cum voluntate Divina.*

**A**ncipiti satis pugna tanquam pro A-  
ris & focis, de formalitate boni-  
tatis ultro citroq; apud melioris etiam,  
commatis viros pugnatum est, ut cui  
sententiæ palmam deferas, ignores.  
Horum quidam putant formale boni-  
tatis consistere in appetibilitate. Quæ  
sententia non doctorem arridet pala-  
to. Est enim appetibilitas consequens  
ipsius bonitatis, & per appetibilitatem  
non est bonitas id quod est; Appetibi-  
les dicuntur res quia bonæ; non ideo  
bonæ quia appetibiles. Nec in Comi-  
tiis sapientum conclusum est illam for-  
maliter consistere in qualitate, cum  
qualitas non competat Deo; In Deum e-  
nim non cadit qualitas, licet sit bonus,  
justus &c. Deinde qualitas est ens re-  
ale, & sic suam haberet qualitatem,  
& illa suam, fieretq; processus in in-  
finitum, à quo abhorret natura. Cele-  
berrimus Dn. Scheibl: refutat illam.  
sen-



sententiam suam in convenientiâ, ut  
scilicet Ens dicatur bonum, in quan-  
tum est alicui conveniens; sequeretur  
sic. ait, ut malum æquè esset affectio  
&c. vide illius Meth. cap. 10. n. 368. Hoc  
ipsum Doct. Calovius nec prorsus con-  
firmat, nec prorsus evertit, sed addit  
suam *Præcipuum* cum debitæ perfectionis  
convenientiâ, ad voluntatem divinam,  
vid. p. m. in Meth. Divin. 277. Multo  
minus robur sibi acquirit assertio, for-  
male in negatione defectus esse con-  
tendens. Cum sic diversæ affectiones  
confundantur. Nec convenientia cum  
se ipsa absolvit formalem rationem bo-  
nitatis; Nam sic quoq; malum erit bo-  
num cum habeat proportionatam sibi  
convenientiam, qua malum est, vide  
B. Thur. Meth. p. 134. Absunt etiam hic  
loci diversi auctores in diversa senti-  
arum divortia, quæ instituti ratio nec  
permittit enumerare; nec tenuitas in-  
genii valet conciliare. Nos breviter  
dicimus formalem rationem consiste-  
re in convenientia cum voluntate Di-  
vina, quæ est mensura omnium, nam

primum in uno quoq; genere est mensura reliquorum & quæ est ratio appetibilitatis ea quoq; est ratio formalis Bonitatis; sed convenientia est ratio appetibilitatis; ideo enim appetimus, quia nobis convenit E. videatur. Fromm. in Syn. p. 159. Materialem bonitatis varietatem vide apud dictos Auctores.

### III. THEOREMA.

*Pneumatica est scientia propriè dicta.*

**H**Oc theorema sub incudem examinis revocare animus est, viam, quia mihi aperit, ad uberiores explanationem materiei, cujus naturam in proxima Disputatione, (quod benè veritat!) indagare decreverim. Genus autem ipsius Pneumatices non adeo est controversum, cum calculo Philosophorum Excellentissimorum dudum sit comprobatum, Scientiam nempe legitimam & adæquatam esse. Quod facile probari potest. Est enim Pneumatica qualitas, erit itaq; potentia naturalis vel impotentia: Dispositio vel habitus; forma.

ma vel figura: sed harum specierum  
 nulla est, excepto habitu, qui subje-  
 ctum ad facile operandum reddit, quod  
 & facit Pneumatica. Removemus er-  
 go spuria Genera constituendo γνήσιον;  
 At saltem remotius est habitus, & pro-  
 pinquius theoreticus: Intensivè enim  
 mentem perficit, nec extra ad opera-  
 tiones se extendit. Exclusus ergo erit  
 habitus practicus activus prudentia, quæ  
 est ἐξίς πρακτικὴ πρὸς τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ.  
 Ut Arist. l. 6. Eth. c. 52. loquitur. Quia  
 Pneumatica non versatur circa contin-  
 gentia: Nec φρόνιμος ἔστιν βεβαιοπῶς  
 quoniam ἐκ ἐστὶ βεβαιομαθαι πρὸς  
 τῶν ἐξ ἀνάγκης ὄντων. Et finis Pneu-  
 maticæ non est practicus sed theoreti-  
 cus. Nec consistit in consultando, ju-  
 dicando & præcipiendo; nec Pneuma-  
 tica appetitum & voluntatem hominis  
 perficit, sed intellectum: Et effectivus  
 sc. Ars; sive sensu Peripatetico. Sive  
 Rameo accipias. Cum πῆσις tantum  
 absit à Pneumatica, ut potius ei ἀπλῶς  
 repugnet; & σιδησόζυλον est, si dicatur  
 Ars contemplativa. Intelligentia non

est Pneumatica, cum nec rerum affinitatem contempletur; nec principia nuda & formaliter ad objectum revocata expendat. Sapientia non est, nec per illam ut genus proximum defini potest. Siquidem illa ex primis & supremis principiis conclusiones universalissimas deducit. Distingvimus enim inter sapientiam generaliter acceptam & specialiter, propriè & impropiè sumtam. Relinquitur ergo ut sit scientia, qua conclusiones cognoscimus per causas inferiores. Iterum observamus scientiam sumi vel generaliter vel specialiter. Isto modo accepta includit sapientiam & scientiam strictè sumptam: unde dici solent *Discipline scientificæ*, objectum scientificum; hoc vero specialiter sumitur, quomodo spectata tria sibi poscit requisita. Objectum, Principia & proprietates. Huc etiam facit duplex illud à Logicis descriptum demonstrationis genus. Unum ostensivum, alterum deducens ad impossibile sive absurdum. Demonstratio ostensiva iterum distingvitur, quod alia sit à

prio-

priori alia à posteriori, quarum majorem scientiam parit prior. posterior non item. Præsupponendum etiam est non semper causam demonstrationis debere esse priorem affectione, secundum ordinem naturæ, possunt enim subjectum, principium & affectio idem esse, ut & in Metaphysicis & in Pneumaticis demonstratur. Nam semper respiciendum est ad prius analogatorum & nihil debet dici in genere quia verificetur in specie. Hisce observatis concludimus theorema nostrum, ita argumentando: Ubi dantur requisita propriè dictæ scientiæ, ibi etiam vera scientia est. At in Pneumaticâ propriè dictæ scientiæ requisita dantur, ergo verè & propriè dicta est scientia. Major est clara: nam talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis. Minor probatur: nam Pneumatica habet objectum, idq; necessarium, quod sit Ens per se, & unius naturæ, præcognitum, quod sit, & quid sit ratione nominis, cui insunt proprietates, quæ ex ipsius naturâ fluunt, &

pria-



principia per quæ proprietates de sub-  
jecto demonstrantur, quæ non semper  
debent esse priora subjecto; sufficit ut  
virtualiter à priori demonstrent unam  
affectionem fluere ab aliâ. Reddit ita-  
quæ Pneumatica, *άνιμνμ άμέτμηστον*  
*και άμετακίρητην* ut reliquæ scientiæ. I-  
tem quicunq; habitus est demonstrati-  
vus affectionum sui subjecti de se ipso,  
ille habitus est scientia propriè dicta.  
Atqui pneumatica talis est E. major  
e definitione clara, minor antea pro-  
bata est, quod est commune omni sci-  
entiæ, illud Pneumaticæ non dene-  
gandum. At habere principia, com-  
mune est omni scientiæ E. id nec de-  
negandum; Pneumaticæ. Nec dicen-  
dum est principia Pneumatices esse im-  
propria, cum definitio Aristotelica il-  
lis conveniat. Principia sunt, ex qui-  
bus sunt & cognoscuntur affectiones.  
talia autem sunt Pneumatices, licet  
non essendi, tamen cognoscendi, quæ  
scientiam propriè dictam non exter-  
minant. Vid. Arist. 1. post Anal. c. 8. l.  
25. Gal. p. m. 41. Phil. sobr. p. m. 143.

#### IV. THEOREMA.

*Basis Præcticarum disciplinarum est Finis, qui juxta cum subjeeto præcognoscitur, media vero ex professo tractantur. Doct. Cal. in Meth. p. m. 671.*

**H**Oc theorema arduum licet & multorum Excellentissimorum sententiis oppositum, (quorum auctoritatem & judicia amplector magis quam aspernor,) citra ullius præjudicium propono: Cum in tantum mihi sim conscius in gratiam veritatis hoc adornari, in quantum longissimè absum ab omni obtreactione laboris alieni. Inter omnes, qui Philosophiæ practicæ lucubrations suas dicarunt, palam literatis est, quosdam illam tripartiri; quosdam studio διχοτομίας ductos, illam in ευδαιμονολογίαν & ἀρετολογίαν dispescere. Utraq; divisio non adeo incommoda videtur & calculo multorum Philosophorum antea est approbata. Verum enimvero cum rationes Excellentissimi Theologi pariter ac Philosophi Doct. Calov. loco antea citato inspiciamus,

ædi.

cedimus nulli non apertum evadere, finem & subiectum inter præcognita referenda, media vero, in practicis ex professo tractanda. Quod ut Clarius evadat, observamus vocabulum πράξεως sumi vel generaliter prout includit πῶσιον, interdum specialiter prout ab illa distingvitur, istius effectum est ἐνεργεία, hujus v. ἐνέργημα. Nam praxis tendit ad ἐνεργείαν, πῶσις ad ἐνέργημα. Nec silentio erit involvendum, finem dupliciter spectari posse, abstracte & formaliter, concrete & materialiter. Ibi præscindit à subiecto, hic concre- scit quasi cum subiecto. Finis etiam aliter consideratur in actu signato, aliter in actu exercito. Nec non est alius internus alius externus. Uterq; quidem in practicis præcognosci debet; sed internus non habet tantam necessitudinem cum mediis, quantam finis externus. Subiectum autem Ethices<sup>o</sup> multo accuratius tractatur in Physicis<sup>o</sup>, ubi hæc doctrina domestica est & homogenea. Si vero de diverso formali regeras, inter præcognita id, quantum  
insti-

Instituti ratio requirit tractari potest.  
Hisce benè pensitatis dicimus quidem,  
finis cognitionem esse necessariam, sed  
distingvimus inter cognitionem con-  
fusam & accuratam, quæ hic non at-  
tenditur, quanquam illa ex præcogni-  
tis dispalescat. Argumentamur ex eo-  
dem Excellentiss. Calovio: Quidquid  
solum dirigit operationem vel praxin,  
id absolvit totam disciplinam practi-  
cam, quippe tota est propter praxin,  
qua cognita, illa ne quidem opus est.  
At cognitio mediorum ad finem du-  
centium, præcognito fine & subjecto  
operationis, solum dirigit operationem  
vel Praxin E.

Major antea probata, minor et-  
iam ex eodem auctore, illustratur &  
confirmatur, definitione *πρόξενος* cum  
aliis exemplis. Huc etiam facit; quod  
Nobiliss: beatæ memoriæ Gyllenstolpe  
in Ethica sua de virtute in genere §.  
30. dicit. *Quicquid ad felicitatem unquam  
facit, id omne virtute paratur. Quævis va-  
luptatem, in virtuosa actione summa datur.  
Cupis honorem; atqui virtutem sequitur  
honor*

bonos ut corpus umbra. Desideras opes; at  
quoniam humili loco nati in adolescentia pau-  
peres, ad magnas divitias per virtutem ho-  
neste pervenerunt. Ad felicem statum sa-  
nitas & bona valetudo haud parum conducit.  
Quin & ipsa virtute paratur & conservatur.  
&c. Tandem concludit: patet itaq; ni-  
hil quod ad felicitatem facit virtute non  
parari. Unde recte etiam Apulejus in  
libro de Philos. Totius Philosophia caput  
est, ut scias quibus ad vitam pervenias ra-  
tionibus. Zabarella acuti ingenii vir,  
adeo ut res quasi deperdita foret si non  
ab illo posset defendi, argumentatur.  
Lib.2. de Meth. E. g. id solum propo-  
nendum est in Philosophia practica  
(ex professo) quod ignotum est, & quod ad  
discendum proponitur. At in practico non  
finis, sed media tantum incognita sunt & di-  
sci debent. E. Media solum (ex professo)  
proponenda sunt. Nec minimam lucem,  
huic nostrae assertioni foeneratur Me-  
thodus reliquarum practicarum disci-  
plinarum. Unde argumentor. Quam me-  
thodo reliquae practicae disciplinae tra-  
duntur, illa etiam proponi debet Ethica.

Sed



Sed ita, ut sine & subiecto præcognitis, reliquæ disciplinæ Practicæ tractantur, & illa etiam proponenda erit Ethica. Certe Logicam, ubi finis tam internus quam externus, cum subiecto considerationis & operationis præcognoscuntur, media v. notiones secundæ (prout se insinuant in intellectu) ex professo tractantur. Idem iudicium esto de reliquis disciplinis practicis. Vide Dn. Doct. Calov. plura in nobili huius argumenti elaboratione proferenda, & angustia temporis, & deploranda librorum supellex prohibent.

#### V. THEOREMA.

*Amnestia in Pace & Bello utilis & Necessaria est.*

Quemadmodum temporum periodus in duo momenta distingvi solet, in pacis nimirum & belli, seu otii & negotii, ita etiam imperantium actiones diversis hisce tempestatibus, diverso varioq; modo tractantur. Etenim cui fasces imperii demandari ut populi sit constitutus Dominus, & Rector hominum, animum intendere debet ut

pericula, quæ circumstant, depellantur, quæ impendent, avertantur. Hæc regnantis vires maxime probant artesq; & curas declarant. In uno pacis negotia procuranda, in altero ne populus ad motus impetusq; facilis nimia licentiâ abripiatur. Sed antequam nobilem hujus materiæ discursum aggrediamur, operæ pretium videtur vocabulorum expositionem proferre ne a Bobus ad Asinos transcendamus, sicq; præpostere agamus: etenim, errorum generatrix est æquivocatio semper. Amnestia græcum vocabulum est, originem trahens à verbo ἀμνησέω, hinc ἀμνησις. Sumitur hoc vocabulum (α) latissime prout quamcunq; injuriarum oblivionem denotat. (β) vulgariter pro particularibus privatorum transactionibus. (γ) Stricte prout à Cornelio Nepote in vita Trasibuli describitur. (δ) Generaliter quatenus jam usu receptum est, ad obliterandas quasvis injurias. Duæ posteriores significationes maxime nostro instituto inserviunt. ἡ συνουσία voces qui pollentes demonstrans, apud auto-

res est multiplex, ut: discordiarū oblivio, oblivionis decretum, abolitio & omnium factorum dictorumq; venia & perpetua oblivio &c. Præterea deprehendimus necessitatem apud Metaphysicos accipi dupliciter. 1, absolute & simpliciter 2, Ex suppositione cōditione & hypothesi. Absolute necessarium est sine quo impossibile est actionem existere. Necessarium ex suppositione est, quod quidem magnopere conducit ad finem obtinendum, sed ita tamen ut finis possit acquiri, licet magna cum difficultate. & hoc necessarium utile dicitur & ad bene esse confert juxta versus:

*Utile, perpetuum, sustentans & violentum;*

*Quatuor expresse vox denotat illa necesse.*

Nos non priori sed posteriori modo, necessariam dicimus Amnestiam. Hisce peractis dicimus Amnestiam:

1. *Gratam Deo T. O. M.* qui vult ut amicam transactionem non respuamus neve morose refragemur, sed confestim absq; morā nos exhibeamus benevolos & placabiles. Ubi enim odium regnat implacabile, ibi non est vera fides, quæ per Charitatem operatur. exclamat doctor gentium Paulus Gal. 5. v. 6. Hoc etiam divina sacri codicis exempla evincunt, quæ facta publico commodo accommodata nullibi prohibent sed commendant. Lege Gen. 26. v. 26. Gen. 31. v. 52. Ju-

das Maccabæus, auctor est Cellarius, in Pol. 12. p: m: 243. Ad quem cum-  
fando pervenisset, quas res præclaras  
Romani in Galatiâ & Hispania peregrif-  
sent, quodque cum confæderatis fir-  
mam amicitiam colerent, duos, cum  
Romanis ut foedus ferirent, Romam  
ablegavit, cujus foederis forma tabulis  
æreis comprehensa, ac Hierosolymam  
remissa, 1. Maccab: c. 8. legitur. Bene-  
fit Romanis & genti Judæorum in ma-  
ri & in terra in æternum, & gladius  
& hostis procul sit ab eis. Cave tamen  
ne sub prætextu Amnestiæ compedes  
veræ religioni injicias; sequidem De-  
us hoc vinculo nos sibi devincire vo-  
luit, quod hominum legibus & pactis  
rumpi dissolvique nefas est. Quoni-  
am religio est vinculum coagulumque  
societatis civilis, nec non justitiæ fun-  
damentum; quod si tollas, res publi-  
ca constituta labascit, vita hominum  
stultitiæ scelere & immanitate comple-  
tur. ut scitè Lactan: Lib: de ira Dei  
Cap: 8. Quotiescunque enim move-  
tur

etur sacra hæc anchora, toties à fluctibus agitatur & procellis Republica Navis; Quod saniores Ethnici de falsâ suâ ac idololatricâ religione asserere non dubitavere. Vide Cic: de legg: Plin: Lib: 4. c: 8. Florum in vita Numæ Pompilii. Tam splendidam & gloriosam, si præferat pacem, fides Ethnicorum, quantum laudis meretur. Religio vere Christianorum, quæ non sub ficta Idolorum specie, fictitiis gentilium Diis præstatur, sed Numini immortali Deo purissimo instar odoris bonæ savitatis offertur? Unde Grotius de Jure Bell: & Pac: Lib: 2. c: 10. §. 44. Efficacissimum amatorium & vinculum indissolubile benevolæ amicitie unius Dei cultus est. Unitas enim & concordia debent in verbo & veritate fundatæ esse. Joh. c: 17. v. 17.

2. *Nec Amnestia jure natura profusa destituta relinquitur, cum naturalis quædam videatur inter mortales ratio, ad commodum & conservationem societatis civilis, communi imperantium pariterq; parentium consensu introducta.*

Natu.



Naturæ etiam impetu amplectimur, quæ conducere aut nobis aut nostris possunt, sed quid pace optabilius? Cujus vinculum & coagulum est Amnestia, quæ paci firmissima substernit fundamenta. Hinc Clariss: Dn: Puffend: E-lem: Jur: univers: Lib: 2, observ: 4. §. 19. Indicat: Enimvero quia belli gerendi facultatem ideo natura indulgit, ut nobis securitas constet, contra illos qui pacem nostram turbant; De cetero autem in omni bello tutam pacem tamquam finem spectari, eamque ubi commode defendi potest servari jubet; unde finiendis bellis jus naturæ præcepit, ut alter alteri, sumpta cautione futuri temporis, præteriti veniam concedat. Potest etiam alio respectu Amnestia accenseri legibus positivis scilicet institutionis.

3. *Utilis est Amnestia regnis?* firmissima est, & magnorum, non dicam multorum, sed omnium fere eruditionis ac ingenii laude insignium virorum applausu recepta regula: hominem Natura non ad bella, sed ad consociatio-

nem

nem potius, paciſq; negotia eſſe na-  
tum. Conſtat hoc ipſum a bellorum ca-  
lamitate, ubi tot hominum millia tru-  
cidantur; Urbes & Regiones quodam  
quaſi diluvio corripuntur, ubi miſe-  
rabiles infantium vagitus illorumque  
cruentas cædes animadvertimus, ubi li-  
beros ſvaviſſimis parentibus, parentes-  
que chariſſimis liberis orbatos, idem fu-  
roris impetus maſtat. Martis tempore pi-  
etas, in quibusdam regionibus exulat;  
juſtitia fundit lacrymas, fides, dicto-  
rum factorumque conſtantia nefariis  
ſceleribus oppreſſa conculcatur, ut to-  
tus fere virtutum chorus in fomitibus  
extinctus videatur. Interim tamen bel-  
la quadam eſſe juſta ac licita concedi-  
mus. Unde Cicero 1. lib. de offic.  
juſtitia hoc eſt primum munus, ne cui  
quis noceat niſi leceſſitus injuria. A-  
mneſtia vero, quæ eſt lex ſeu pactum  
publicum, quæ ortæ ex præteritis di-  
ſcordiis injuriæ, poſtulante ita Reipu-  
blicæ ſalute, perpetua oblivione abo-  
lenter, fide utrinque integra conſtan-

er servandum & sicut pacis tempore, coluntur agri, latæ pascuntur pecudes, ædificantur villæ & oppida, augentur opes, florent leges, Republicæ disciplina viget, religionis studium fervet, pauperibus bene est, nec male divitibus, florent boni, minusque peccant mali; ita ubi honesta floret Amnestia non possunt non commoda multa provenire. Hæc homines hominibus consiliat, & quantum potest cum Deo ipso connectit.

4. *Necessaria nonnunquam principibus & subditis.* Nam pactioes inire, quæ bellum finiant eorum est, quorum est bellum; Hic enim suæ quisque est moderator; unde sequitur ut in bello utrinque publico hoc eorum sit qui summi imperii exercendi jus habent. *Græc. 13. c. 20. §. 1. de Jure B. & p.* Quod etiam illustri sua lege, ad memoriam posteritatis, comprobavit Excellens Thebanorum Dux Trasybulus, qui audito patriam suam pestifera plaga in bello Peleponnesiaco a Lacedæmoniis affectam & ad desperationem fere

fere adactam esse, non quæsit ubi ipse tutò viveret, sed ut civibus suis posset esse præsidio, & Atheniensibus in libertatem asserendis omnem venditare operam, ne diutius victi, luctuosa servitute tenerentur. Assumptis igitur triginta de suis familiaribus hostes adoritur, & Tyrannos à Lacedæmoniis præpositos, gravi prælio casos urbe expellit, pristinam civibus libertatem restituit, Reipb: procuracionem populo reddit. præclarum certe factum, sed illo, quod post victoriã patravit nequaquã illustrius; ne quippe sua viscera armatus idem furoris imperus, & intestina belli rabies corriperet; legem tulit ne quis antea actarum rerum accusaretur, neve muldaretur. Rectissime itaq; Gloriosissimæ memoriæ Rex Carolus Gustavus, in literis suis ad Moguntinum Electorẽ afferebati: punctum Amnestiæ & gravaminum esse belli originem & fundamentum pacis. conf. Theat. Europ.

Tom. 6. pag. 973.

*SOLI DEO GLORIA.*

## COROLLARIA.

- I. Corpus Naturale quatenus est naturale est obiectum Physices.
- II. Corpora naturalia tempore juxta motum siderum mensurantur.
- III. Puritatem & impuritatem Elementorum ratione qualitatum, materiae & formae, corporis contenti, sensu Connimbricensiū spectare nec qua distinctionem nec applicationem in natura fundamentum habet.
- IV. Stellae non esse igneae naturae asserimus.
- V. Nivem in se spectatam non esse albam, probabile est.

